ARCHIVIO SALESIANO
CENTRALE

Classifica A12100

Nome SOCIETÀ SALESIANA

Protocollo N.

Oggetto COSTITUZIONI E REGOLAMENTI

Posizione D472

Fascicolo N. 03

Data: dal — **al**

N.	CONTENUTO	ANNOTAZIONI
06	Societas Sancti Francisci Salesii Copia delle Costituzioni in latino, con correzioni	D4720306

Archivio Centrale Società Salesiana

N.° 12

022(11)

Societas Sancti Francisci Salesii

Copia del n.° 8 con correzioni di ......

(8 bis)

N.° 6

1.

Societas
Sancti Francisci Salesii
N. 1°

Catholicae religionis ministris persuasum semper fuit in adolescentulis bene ~~edocendis~~ ~~maximam~~ -ti-ipse sollicitudinem adhibendam.

Etenim, iuventute malis aut bonis moribus imbuta, bona aut mala ipsa hominum societas fiet. ~~Idque~~ Christus Dominus huius rei veritatis nobis clarum exemplum suppeditavit, praesertim ~~cum~~ parvulos ad se advocatos divinis manibus benedice~~bat~~ret atque ~~conclamabat~~ret: sinite parvulos venire ad me.

Episcopi, quos Spiritus Sanctus ~~posuit regere~~ regendam dedit Ecclesiam Dei, ~~peculiariter~~ praesertim vero ~~Summi~~ Pontifices ~~Salvatoris~~ Maximi nostri vestigia ~~sub~~secuti, cujus vices gerunt ~~super~~ terris, verbis atque operibus instituta ad iuventutem christiane erudiendam spectantia alacri animo, peculiarique sollicitudine commendarunt atque eisdem sunt suffragati. Pius autem ~~Papa~~ IX quem diutissime Deus ad Ecclesiae gloriam incolumem ac sospitem servet, praeter indefessos labores pro adolescentulis periclitantibus perlatos, omnimodis subsidiis illis institutionibus favit, quae ad huiusmodi sacri ministerii partem ~~adverterent~~.

Nostris vero temporibus longe maior urget necessitas. Nam incuria multorum parentum, abusus artis typographicae, haereticorum, atque schismaticorum conatus ad augendos sibi sectatores necessitatem ingesserunt simul coniungendi vires ad praelianda praelia Domini sub Vexillo Vicarii Domini nostri Iesu Christi, ad tuendam fidem et tutandos bonos mores praesertim adolescentulorum ~~miserabiliorum~~, quos ~~qui~~ inopia + ~~in rebus fidei periclitantur~~. Hic est Societatis sive Congregationis finis Sancti Francisci Salesii.

Margin notes: instituendis / Ipse / quum / quibus / Servatoris / in / I Pont. Max. / spectarent / guttembergiae / + deficiunt praesidia ad christianam doctrinam capessendam.

190351

Eiusdem Societatis Origo.

N. 2°

[margin: inde]

Iam ~~usque~~ ab anno millesimo octingentesimo primo et quadragesimo Joannes Bosco sacerdos (cum aliis ecclesiasticis viris operam dabat, ut simul in unum locum Augustae Taurinorum adolescentulos derelictos et pauperes colligeret, eosque ludis exhilararet; eodem vero tempore panem divini verbi iis distribueret. Quae quidem omnia auctoritatis ecclesiasticae consensu fiebant.

[margin: cuius]

Quum autem Deus humilibus hisce initiis benediceret, mirum, quantus ~~[illegible]~~ adolescentium numerus, ~~qui~~ huc libenter concurreret. Quibus quidem omnibus perpensis, anno M.D.CCCXLIV. Taurinensis dioecesis Archiepiscopus, ~~[illegible]~~ passus est aedificium in formam Ecclesiae dicari (1), ibique sacra omnia peragi possent, quae necessaria sunt ad rite colendos ~~[illegible]~~ dies festos, et ad adolescentulos instituendos, qui numerosiores in dies adventabant. Huc saepius Archiepiscopus ipse se contulit, ut Sacramentum Confirmationis administraret. Anno 1846 concedebat, ut omnes, qui huic instituto interessent, ibi possent ad Sanctum Eucharistiae Sacramentum admitti, Praeceptum Paschalis adimplere, ~~Missam canere, triduana et novendialia celebrare,~~ quoties ipsis ~~[illegible]~~ videretur. Haec omnia in Oratorio S. Francisci Salesii facta sunt usque ad annum M.D.CCCXLVII. Hoc autem anno quum numerus adolescentulorum augeretur ideoque ~~[illegible]~~ aedes iam nequiret omnes capere, annuente ~~[illegible]~~ auctoritate ecclesiastica, in alia ~~[illegible]~~ urbis regione ~~[illegible]~~ ad Portam novam alterum Oratorium adapertum fuit, eodem, quo primum fine sub titulo

[margin: Aloisius Fransoni ... ; frequentiores ; decrevit ; + ut sacerdotibus + liceret ibi sacrum sollemne facere, et triduanas vel novendiales preces indicere]

(1) Hoc tunc duabus cellis constabat, quae ad Hospitium sacerdotum inservirent Refugii Rectorum, deinde ~~vero~~ anno 1845 Oratorium in Valdoccum translatum fuit, ubi etiam nunc est.

190 JE 2

S. Aloysii Gonzagae. Quum vero et haec duo, labente tempore, satis non essent, tertium anno MDCCCXLIX. in Vanchilia, ipsius etiam urbis regione instituebatur sub titulo Sancti Angeli Custodis.

[margin: eiusdem]

Irrumpentibus autem iis temporum difficultatibus, quae religioni summopere adversarentur, ~~[illegible]~~ proprio regulas huiusmodi Oratoriorum probavit et Sacerdotem Bosco eorumdem Rectorem constituit, quacumque facultate donatum, quae ad id necessaria atque opportuna videretur. Complures Episcopi easdem regulas exceperunt, atque nituntur, ut suae quoque dioeceses id genus ~~[illegible]~~ Oratoriis floreant.

[margin: vir amplissimus cui dioeceseos cura erat demandata motu — Joannem Bosco]

At praeter opinionem gravis extitit necessitas. Nonnulli adolescentes grandiori iam aetate nequibant satis institui ~~per~~ christiana doctrina solis diebus festis, ~~[illegible]~~ ac propterea oportuit scholas aperire + ~~ac diurna et vespertina christiana doctrina ac institutione, ipsa labente hebdomada.~~ Quin imo ex iis complures derelicti et dura paupertate conflictati, in peculiarem domum recepti sunt, ut ibi periculis erepti religionem docerentur, et in aliquo opificio exercerentur. Quod quidem etiamnunc fit praesertim Augustae Taurinorum in aedibus, quae iuxta ad hospitium Oratorii S. Francisci Salesii ^ ~~[illegible], ubi recepti septingentos excedunt.~~

[margin: + ubi horis tum diurnis, tum nocturnis, per hebdomadam, christiana institutione erudirentur. ; ^ ubi amplius septingenti enumerantur.]

Anno 1863 alia quoque domus Mirabelli in Monferrato adaperta fuit, cui titulus: Parvum Sancti Caroli Seminarium; ubi centum et quinquaginta ferme ~~[illegible]~~ adolescentes ~~[illegible]~~ iis regulis instituuntur, quae in Oratorio huius urbis vigent. Anno vero 1864 apud Lanceum nova domus in collegii formam erecta ~~inaugurata~~ fuit, in qua 200 adolescentes ~~[illegible]~~ scientia et religione instituuntur.

190 JE 3

Nunc agitur de alia domo aperienda in loco Truffarello dicto, qui est vicus septem ab urbe millia passuum dissitus.

Iam vero quum adolescentuli frequentes Asceterium diebus festis adirent, scholae diurnae et vespertinae haberentur, ac mirum in modum exceptorum numerus in dies augesceret, copiosa nimis messis Domini facta est. Quapropter ut probatae iam disciplinae unitas servaretur, a quibus uberrimus fructus provenire consuevit iam inde ab anno MDCCCXLIV. nonnulli viri ecclesiastici sese simul collegerunt, et genus quoddam societatis vel congregationis constituerunt, alius alium exemplo et institutione invicem adiuvantes. Nullo se voto adstrinxerunt, tantumque polliciti sunt se strenuam iis operam daturos, quae ad maiorem Dei gloriam suaeque animae utilitatem conferre viderentur. Sacerdotem Ioannem Bosco ultro sibi praefectum adlegerunt.

Licet autem nulla vota proferentur, actu tamen ea fere regulae observabantur, quae hic exponuntur.

N. 3. Huius societatis finis

1.° Huc spectat huius Congregationis finis, ut socii simul ad perfectionem christianam nitentes, quaeque charitatis opera tum spiritualia, tum corporalia erga adolescentes, praesertim si pauperes sint, exerceant, et in ipsius iuniorum clericorum educationem incumbant. Haec autem societas constat ex ecclesiasticis, clericis atque laicis.

2.° Iesus Christus coepit facere et docere, ita etiam socii incipient internarum atque externarum virtutum exercitio, et scientiae acquisitione seipsos perficere; deinde aliorum beneficio strenuam operam dabunt.

3.° Primum charitatis exercitium in hoc versabitur, ut pauperes ac derelicti adolescentuli excipiantur, et sanctam catholicam religionem doceantur, praesertim vero diebus festis, quemadmodum Augustae Taurinorum fit in quatuor Asceteriis S. Francisci Salesii,

1903E4

S. Aloysii Gonzaga, S. Angeli Custodis et Sancti Iosephi.

4.° Saepe contingit, ut adolescentuli inveniantur, adeo derelicti, ut nisi in aliquod hospitium recipiantur, quaecumque cura frustra iis omnino impendatur. Quod ut fiat, maiori qua licebit sollicitudine, domus aperientur, in quibus divina opitulante Providentia, receptaculum, victus, et vestimentum iis subministrabitur. Eodem vero tempore quo fidei veritatibus instituentur, operam quoque alicui arti navabunt, quemadmodum nunc fit in aedibus, quae Oratorio S. Francisci Salesii adiunguntur in hac urbe. (3) forma di nota. (Sacerdos) Franciscus Montebruno sacerdos qui ad hanc societatem pertinet, abhinc decem annos domum Genuae aperuit, cui titulus Collegium Puerorum artificum. Adolescentuli qui nunc excepti sunt, ad centum proxime accedunt; centum vero et amplius diebus festis intersunt.

5.° Quum vero gravissimis periculis subiiciantur adolescentes, qui ecclesiastico ministerio initiari cupiunt, maximae curae huic societati erit eos in pietate et vocatione colere, qui se studio et pietate specialiter commendabiles ostendant. In adolescentulis autem studiorum causa excipiendis ii praeferentur, qui pauperiores sint, qui ideo curriculum studiorum alibi nequeunt explere, dummodo firmam spem vocationis ad ecclesiasticam militiam praebeant. In Asceterio Taurinensi quingenti circiter et quinquaginta, Mirabelli autem centum et quinquaginta sunt, qui hoc fine classica studia perficiunt.

6.° Quum autem necessitas catholicae religionis tutandae gravior etiam urgeat inter christianos populos, praesertim in pagis, propterea socii

1903E5

Iterum adlaborabunt, ut homines, qui potioris vitae studio per status aliquot dies secedunt, ad pietatem confirment erigantque; ut bonos libros in vulgus spargant, omnibusque rationibus utantur. Huc spectant sacrae conciones quae identidem habentur, hinc triduanae et novendiales supplicationes, hinc demum libri qui emittuntur per officinam abhinc quatuor annos institutam, in oppidum Rauri... qui inscribuntur Letture cattoliche.

..., quae a sedula charitate proficiscuntur, verbis et scriptis impietati obsistetur, et haeresi, quae omnia tentat, ut in rudes ac idiotas pervadat.

Huius societatis forma.

1°. Socii omnes vitam communem agunt, uno fraternae charitatis votorumque simplicium vinculo constricti, quod eos ita coniungit, ut unum cor, unamque animam efficiant ad Deum amandum eique serviendum virtute obedientiae, paupertatis, morum sanctimoniae, et accurata christiana vivendi ratione.

2°. Quicumque societatem ingressus fuerit civilia iura, etiam editis votis, non amittet, ideoque rerum suarum proprietatem servat, idemque potest in aliena bona succedere. Sed, quoad in societate permanserit, non potest facultates suas administrare nisi ea ratione et mensura, qua Rector in Domino bene iudicaverit.

3°. Omnis fructus rerum sive mobilium sive immobilium, quas in societatem quis attulit, quo tempore vitam in ipsa egerit, ad eamdem pertinebit. Poterit tamen vel partim, vel etiam omnino ... quae extra congregationem possideat, at semper obtento Rectoris consensu.

4°. Clerici et sacerdotes, etiam postquam vota emiserint, patrimonia vel simplicia beneficia retinebunt, sed neque administrare neque iis perfrui poterunt nisi ad Rectoris placitum.

1903E6

5°. Administratio patrimoniorum, beneficiorum et omnium, quae in societatem inferantur, ad Superiorem Generalem pertinet, qui vel ipse, vel per alios ea administrabit, et, donec quisquam in congregatione fuerit, annuos eorum fructus percipiet.

6°. Eidem Superiori omnes sacerdotes Missarum etiam eleemosinam tradent. Caeteri vero, tum clerici, tum laici omnem pecuniam ei committent, quae quibusque modis ad eos perveniat, ut in commune conferatur.

7°. Quaecumque sociis necessaria erunt, societas praestabit, et quoad victum, spectaverit, quoad vestitum et caetera, quibus in diversis vitae conditionibus opus fuerit. Quin imo, ubi iusta ratio adsit, potest Superior pecuniam, vel aliam rem socio tribuere, quam ad maiorem Dei gloriam impendendam duxerit.

8°. Si quis, intestatus decesserit, ei succedet qui secundum leges civiles haeres constituitur.

9°. Unusquisque votis tenetur, donec in societate remanserit. Si quis vel iusta causa, vel prudenti Superiorum iudicio, a societate discederet, a votis temporalibus poterit a superiore Generali absolvi. Si autem vota erunt perpetua, facultas a Sancta Sede erit petenda.

10°. Unusquisque maneat in vocatione, qua vocatus est usque ad mortem. In mentem quotidie sibi revocet gravissima illa Domini Salvatoris verba: Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.

11°. Verum tamen, si quis a societate egrediatur, nihil sibi ob tempus, quod in ea transegit, poterit rogare, neque aliud secum ferre, quam quod Generalis Superior opportunum iudicabit. Licebit

1903E7

autem secum res immobiles ferre, atque etiam mobiles, quarum proprietatem ab ingressu in societatem servaverit, at nullum neque fructum, neque eorum administrationis rationem exposcere; pro tempore quo in societate permanserit, nisi cum Rectore maiore aliquod peculiare pactum ~~inierit~~ fuerit.

N. 5. De voto obedientiae

1. Propheta David Deum enixe orabat, ut ~~ad faciendam illius voluntatem illum doceret~~. Salvator Dominus, certos nos fecit, se huc in terras descendisse, non ut faceret voluntatem suam, sed voluntatem patris sui, qui in coelis est. Huc spectat obedientiae votum, scilicet, ut certiores efficiamur nos sanctae Dei voluntati obtemperaturos.

illum doceret illius voluntati obsequi.

2. Obedientiae votum socios ita devincit, ut ~~in~~ iis tantum operam navent, quae cuiusque Superior fore indicabit ad maiorem Dei gloriam, et animae suae proximique utilitatem secundum ea, quae hisce constitutionibus praescribuntur.

3. Hujusce voti observantia sub culpa non obligat, nisi in iis, quae mandatis Dei Sanctaeque Matris Ecclesiae adversentur, et cum Superior suum praeceptum his verbis exprimit: in virtute Sanctae obedientiae praecipio.

4. Obedientia nos certos reddit Dei voluntatem adimpleri. Quapropter unusquisque proprio Superiori obediat, illumque in omnibus veluti patrem peramantem habeat, eique pareat integre, prompte hilari animo et ~~humilitate~~ [demisso]; ea persuasione ductus in re praescripta voluntatem Superioris ipsam Dei voluntatem patefacere.

5. Nemo anxietate petendi, vel recusandi afficiatur. Si quis autem cognosceret quidpiam sibi vel nocere, vel necessarium esse, reverenter id superiori exponat, ~~qui ordinare sibi curam habet~~ cuius est necessitati consulere.

cui maxime erit cura

1.903 E 8

6. Maxima unicuique fiducia in Superiore sit, neque ullum cordis secretum quisquam erga illum servet. Quoties ab eo postulatur, vel ipse necessitatem agnoscat, etiam conscientiam suam ei adaperiat, quotiescumque hoc ad maiorem Dei gloriam, animaeque utilitatem conferre judicaverit.

7. Nemo resistendo pareat, neque verbis, neque factis, neque corde. Quo magis aliquid repugnat facienti, eo maiori merito erit illi in conspectu Dei, si illud exequatur. (1)

N. 6. De voto paupertatis

1. Observantia voti paupertatis in hoc praecipue consistit, ut animum ab omnibus terrestribus alienum habeat, quod nos vitam [quoquoversus undique] communem ~~quoad~~ victum et vestitum consequi curabimus, nec quicquam, nisi peculiari Superioris permissione, pro nobis retinentes.

2. Unusquisque hoc voto tenetur ~~cubiculum~~ [cellulam] suam maxima simplicitate habere, et summopere vitet, ut cor virtute, non corpus vel aedium parietes exornentur.

3. Nemo, sive intra sive extra Congregationem pecuniam apud se aut apud alios habeat quacumque de causa.

4. Si quis iter ingrediatur, vel a Superiore mittatur ad aperiendam vel administrandam beneficentiae domum, vel explendam aliquam sacri ministerii partem vel peculiaris necessitas adsit, tunc Superior ea statuet, quae temporum, locorum et personarum adiuncta postulabunt.

5. Mutuum dare, accipere, vel ea, quae sunt apud se, aut in societate elargiri, contractus inire cujuslibet generis, absque Superioris licentia non tantum cum externis, sed etiam cum sociis Congregationis omnino vetitum est.

(1) Caput de forma Societatis et caput de voto paupertatis fore ad verbum excerpta fuerunt a constitutionibus Congregationis Scholarum caritatis quam approbavit Gregorius Papa XVI die 21 Junii 1836

1.903 E 9

N. 5°

De voto Castitatis

1° Qui vitam in derelictis adolescentulis sublevandis impendit, certe totis viribus niti debet, ut omnibus virtutibus exornetur. At virtus summopere colenda atque quotidie prae oculis habenda, virtus angelica, virtus prae caeteris cara filio Dei, virtus est castitatis.

2° Qui firmam spem non habet, Deo adiuvante, virtutem castitatis, tum dictis, tum factis, tum etiam cogitationibus posse servare, is hanc societatem non profiteatur; in periculo enim saepe numero versabitur.

oculorum obtutus

3° Verba, ~~adspectus~~, licet indifferentis, perverse interdum ob adolescentulis excipientur, qui humanis cupiditatibus iam fuerunt subacti.

Quapropter maxima cura est adhibenda, quoties sermo cum adolescentulis instituitur cujuslibet aetatis, aut conditionis vel quidpiam cum illis agatur.

4° Conversationes defugiantur, si hae sint cum personis diversi sexus, vel etiam cum ipsis secularibus, ubi haec virtus periclitari videatur.

5° Nemo se conferat domum apud notos, vel amicos, absque consensu Superioris, qui, quoties fieri possit, comitem ei adiunget.

6° Ut Castitatis virtus diligentissime custodiatur, haec potissimum sunt agenda, scilicet, ut quisque Sanctis ad Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta saepe accedat, consilia Confessoris sedulo exsequatur, otium defugiat, omnes corporis sensus coerceat, et moderetur, frequenter Jesum in Sacramento invisendum adeat, crebra jaculatoria preces fundat ad Mariam SSmam, S. Franciscum Salesium, S. Aloysium Gonzagam, qui sunt hujusce societatis praecipui patroni.

1903E10

N. 6°

Religionum societatis regimen

1° Socii arbitrum et supremum Superiorem suum habebunt Pontificem Maximum, cui omnibus

in locis, temporibus et dispositionibus suis humiliter et reverenter subiicientur. Quin imo praecipua erit cujusque socii sollicitudo totis viribus promovendi ac defendendi auctoritatem et observantiam Ecclesiae Catholicae legum, ejusque Supremi Antistitis, ~~Jesu Christi~~ et hic in terris legislatoris et Jesu Christi Vicarii.

2° Post Romanum Pontificem tanquam Superiorem habebunt episcopum illius Dioecesis, in qua quaque domus est: omnesque socii strenuam operam dabunt, ut ei in auxilium veniant, ac quantum licebit, religionis jura omnimode tueantur, illius bonum sedulo promoveant, praesertim si agatur de pauperibus adolescentulis instituendis.

3° (1) Quoad vero ad Sacramentorum administrationem, praedicationem et ea omnia, quae ad publicum Sacri Ministerii munus attinent, tanquam Superiori subiicientur episcopo illius Dioecesis, ubi domus est, ad quam pertinent, prout regulae Societatis patientur.

4° Quod vero ad sacros ordines spectat, socii ab Episcopo Dioecesis eos accipient, a quo sunt ordinandi juxta consuetudinem aliarum Congregationum, domorum communionem habentium, videlicet secundum privilegia Congregationum, quae tanquam ordines regulares habentur.

N. 9°

Internum societatis regimen

1° Quoad internum attinet tota societas principali domui subiicitur, cujus regimen est in Capitulo, quod ex Rectore, Praefecto, Oeconomo, spirituali Directore, seu Catechista, et tribus consiliariis constat.

2° Rectoris munus est socios in societatem admittere vel non; unicuique assignare, quae spectant sive quoad spiritualia, sive quoad temporalia. Nulla tamen

(1) Articulus 3° et 4° de verbo excerpti sunt ex constitutionibus oratorum B. M. V. parte 2a paragrafo 1° similia extant in constitutionibus Sacerdotum sub titulo Missionis et Rosminianiorum.

1903E11

quoad res immobiles spectat emendi, vel vendendi ei erit facultas absque consensu Capituli.

3° Nemo, Rectore excepto et iis, qui Capitulum constituunt, potest epistolas scribere vel accipere sine Superioris permissione.

4° Rector maior in munere suo ad duodecim annos manebit. At (quod Deus avertat) ubi gravissime officia sua negligeret, Praefectus, et Director simul coniuncti possunt Capitulum, et peculiarium domuum Directores convocare, ut Rectorem efficaciter admoneant. Quod si non sufficiat, Capitulum certiorem de hac re faciet, ad sacram ordinum regularium congregationem recurret, cujus consilio et responsione accepta, Rector Maior deponi potest.

5° Hujusmodi capitulum auctoritate pollet alterum Rectorem creandi.

6° Idem Rector Capitulum et peculiarium domuum Directores semel in anno convocet, ut, societatis necessitatibus cognitis, iis consulatur, eaeque sollicitudines adhibeantur, quas tempora, et loca exposcent.

7° Capitulum ita convocatum poterit etiam eos articulos regulis addere, quos opportunos ad societatis utilitatem judicabit, at semper eo sensu et ratione quibus regulae iam probatae sunt. Quoties dubium exortum fuerit circa modum, quo aliquis articulus intelligi debeat, Rector Maior potest eumdem interpretari, quemadmodum ad maiorem Dei gloriam conferre et spiritui Societatis magis consentaneum videatur.

8° Ut autem casui mortis suae Rector maior provideat, Vicarium sibi eliget ex Congregationis sociis, eiusque praenomen et nomen notabit in chartae obsignatae plagula, sub clave et omnibus occulte habitis. Fasciculo haec inscribantur: Rector temporarius.

1903E12

9° Mortuo Rectore, Vicarius illius vicem geret, donec successor ei creatus sit; at nullam poterit neque disciplinae, neque administrationi mutationem afferre, quo tempore societatem reget.

10° Mortuo Rectore, statim Vicarius illius mortem annuntiet omnium domuum sociis, ut ita unusquisque maximam sollicitudinem adhibeat in iis spiritualibus auxiliis praebendis, quae regulae praescribunt. Deinde omnes earumdem Directores invitet, ut successoris electioni interesse satagant.—

N. 10° — De Rectoris Maioris electione —

1° Ut aliquis Rector Maior eligi possit, oportet ut saltem octo annos in Societate transegerit, trigesimum suae aetatis expleverit, et sociis vitae sanctimonia praefulserit. Si vero caetera, quae ad Rectorem Maiorem requiruntur, eminenti gradu in aliquo socio innotescant, capitulum usque ad vigesimum sextum aetatem deducere potest.

2° Duplici ex causa Rectoris Maioris seu superioris Generalis electio fieri continget, videlicet vel ob finitum duodecim annorum munus aut ob Rectoris mortem.

3° Si Rector Maior eligendus est, eo quod duodecim annos in munere transegerit, electio sic est facienda. Ipsemet Rector Maior tres menses, antequam sui officii tempus labatur, capitulum domus principalis convocabit, eique sui muneris finem imminere palam faciet: cujus rei notitiam transmittet Directoribus domorum peculiarium, eisque sociis omnibus, qui secundum constitutiones suffragium dare poterunt. Dum autem finis sui muneris diem significabit, aliam statuet diem ad successoris electionem perficiendam; tempus electionis peragendae, si fieri potest, quindecim die

1904A1

spatium a fine numeris sui excedere non debebit.

3º A die, quo suum munus explebit ~~persolvet~~ usque ad peractam eiusdem successoris electionem, Rector Maior Vicarii temporarii ~~provisorii~~ nomen et auctoritatem habebit, pergetque in societatis regimine et administratione, donec ejus successor in munere suo reapse sit constitutus.

4º Ad electionem novi Rectoris intererunt et suffragium dabunt, vicarius temporarius, capitulum domus principalis, directores domorum peculiarium, omnesque socii qui iam vota perpetua emiserint. Si autem quis eorum quacumque ex causa ad praestandum suffragium advenire non poterit, ab aliis licite et valide electio fiet.

5º Maioris Rectoris electio sic fiet: omnes electores, flexis genibus ante imaginem Domini nostri J. Ch. crucifixi divinum auxilium et superna lumina invocabunt ~~persolventes~~ ~~invocabunt~~ himnum Veni Creator Spiritus etc. Quo finito, Rector temporarius fratribus una simul collectis causam patefaciet, propter quam eos advocavit clare et distincte omnes commonens de stricta ~~singulorum~~ obligatione suum dandi suffragium illi ~~pro eo~~, quem ad Dei gloriam utilitatemque ~~lucrumque~~ animarum in societate promovendum magis idoneum in Domino judicaverit. Postea unusquisque scribet nomen illius, in cujus favorem suffragium edere ~~praebere~~ intendit, et schedulam sic exaratam in vasculo ad hoc parato secreto ponet ~~mittet~~. Qui duas de tribus votorum partibus consecutus fuerit, erit novus Rector seu Superior Generalis.

cunctes

6º Sin autem ~~vero~~ ob superioris Generalis mortem electio esset facienda, hac regula et ordo tenetur: Mortuo Rectore Maiore, Vicarius temporarius illius mortis notitiam ad omnes domorum peculiarium directores per scriptum transmittet, et spiritualia suffragia secundum constitutiones quam

1904A3

citissime pro defuncti anima fiant.

7º Electio huiusmodi non ante tres, nec serius ~~tardius~~ sex mensibus a Rectoris morte erit facienda. Ad hunc finem Vicarius temporarius suum capitulum congregabit, ejusdemque consensu opportuniorem statuet diem ad convocandos eos, qui ~~ea~~ in illa electione suffragium daturi sunt.

8º Suffragium autem ii dabunt, qui hoc fine pollent in electione Rectoris facienda, causa mortis, sicut in articulo quarto hujus capitis dictum est.

9º Statim ac electores fuerint congregati, vicarius temporarius causam patefaciet, propter quam eos convocavit, deinde dicto pater, ave, de profundis pro Rectore defuncto, nec non persoluto himno Veni Creator Spiritus, unusquisque suum suffragium dabit, ut in articulo 5º dictum est. Qui duas de tribus votorum partibus assecutus fuerit, erit novus Superior Generalis, cui omnes societatis sodales obedire tenentur.

10º Peracta electione, sive haec fiat causa mortis, sive ob transactum tempus duodecim annorum, Vicarius temporarius novum electum Rectorem Maiorem citius ut omnibus societatis sociis patefaciat, operam dabit. Quo facto omnis Rectoris temporarii auctoritas finem habet.

11º Si forte Rector maior decideret, quin prius Vicarium temporarium nominaverit, tunc domus principalis capitulum ipsum eligat. Ipse usque ad peractam electionem societatem reget, facietque omnia, quae ad Vicarii temporarii munus spectant.

N. II. — De ceteris Superioribus —

1º Officia ceterorum Superiorum Rector, prout fert necessitas, distribuet.

2º Directori tamen spirituali curae erunt novitii strenuamque operam dabit, ut illum charitatis

1904A3

et sollicitudinis spiritum condiscant, actuque perfi-
ciant, quo inflammari debet, qui omnem vitam
suam ad [animarum] lucrum optat impendere. ~~munus~~

3º Directoris quoque spiritualis est, Rectorem reverenter admonere, quoties gravem negligentiam perspiciat in regulis Congregationis exequendis; vel earum observantiam in aliis promovendam neglexerit.

4º Praecipuum vero Directoris officium in eo praesertim versatur, ut in morali omnium sociorum vitae ratione sedulo, attenteque invigilet.

5º Praefectus et spiritualis Director creantur a Rectore. ~~Oeconomus~~ [Oeconomus] vero et tres consiliarii pluritate suffragiorum eligentur a sociis, qui jam professi sunt.

6º Praefectus, Rectore absente, illius vicem gerit, in iis omnibus quae peculiariter illi demandata erunt.

7º Ille rationem habebit exceptae et expensae pecuniae, notabit legata, donationes in domum collatas et earum destinationem. Omnis venditio, omnesque mobilium et immobilium facultatum fructus sub Praefecti custodia et responsione erunt, a quo cuncta proficisci debent, quique rerum omnium rationem reddere tenetur.

8º Praefectus igitur est veluti centrum, a quo proficisci et ad quod referri debent excepta pecunia. Praefectus Rectori subiicitur eique facti rationem reddet, quoties postulabitur.

9º Oeconomus materialem omnem domus processum (ordinem) procurabit.

10º Consiliarii omnibus deliberationibus intersunt, quae ad acceptationem vel remotionem alicujus socii pertinent; si agatur de contractibus rerum immobilium emptionis aut venditionis, Denique aut de rebus maioris momenti ~~rebus~~, quae ad rectum societatis generalem progressum spectant. Nisi numerus votorum favorabilium maior sit, omnes de re agenda deliberationes Rector ~~Protrahat~~ prothraat.

1904/74

11º Unusquisque ex Superioribus, Rectore excepto, tres annos in munere suo manebit, ac iterum eligi poterit.

N. 12º De domibus peculiaribus.

1º Si quando singulari divinae Providentiae favore peculiaris praeter principalem domus aperiatur, ante omnia Superior Generalis quoad [directe] spiritualia et temporalia ex regulis, quibus principalis [domus] regitur, conveniet cum Episcopo Dioecesis, in qua domus est aperienda, eique in iis sacri ministerii omnibus partibus subiicietur, quas regularum societatis observantia patiatur.

2º Si autem domus aperienda sit juniorum Seminarium, vel Seminarium clericorum, qui grandiori jam sint aetate, tunc non solum quoad sacrum ministerium [spectat], sed omnino ~~modo~~ etiam Superiori ecclesiastico submissio praebebitur in deligenda materia, quae tradi debeat, in libris adhibendis, in disciplina atque etiam in temporali administratione iis tenebitur, quae Rector Maior constituit.

3º Socii ad recentem domum adlecti minus duobus non sint, ex quibus unus saltem Sacerdos esse debet. Directoris nomen Superior assumet. Quaeque domus bona possidebit et administrabit, quae vel dono data, vel in societatem illata sunt, ut peculiari illi domui inservirent; at ea semper [ratione] ~~tenenus~~ quam Superior generalis [describet] ~~[illegible]~~.

4º Peculiares domos saltem semel in anno inviset Rector, ut diligenter inquirat, an officia expleantur, quae regulae Societatis praescribunt, simulque animadvertat, an spiritualium et temporalium administratio ad propositum finem reapse spectet ut scilicet Dei gloria et animarum salus promoveatur.

5º Ad Directorem autem quod attinet, ita se [in cunctis] ~~[illegible]~~ gerat, ut omni temporis puncto eorum possit rationem reddere Deo, et Superiori Rectori, cui se ~~subii~~ subiiciant.

1904/75

divinam in eo voluntatem perspiciat.

6º Praecipua est ejusdem Rectoris cura in recenti quaque domo capitulum constituere, quod numero sociorum in ea habitantium congruat.

7º Ad hoc autem capitulum constituendum conveniet Rector Superior, recentis domus Director et principis domus capitulum.

8º Inter eligendos primus est Catechista, deinde vero Oeconomus, tertio tandem singuli deinceps consiliarii, ubi congruat sociorum numerus; iis qui stabiles in ea Domo immorentur.

9º Catechista spiritualia quaeque illius domus procurabit, ac quoties opus erit, Directorem admonebit.

10º Quod si ob distantiam, tempora et loca oporteat quaedam excipere in capitulo constituendo, vel in eorum, ex quibus constat, muneribus, omni ad id auctoritate Rector Maior valebit, consentiente tamen Capitulo domus principis.

11º Director neque emere, neque vendere immobilia poterit, nisi adsit Rectoris Maioris consensus; in administratione tantum quacumque auctoritate pollebit, at in iis, quae maioris momenti sint, consultus erit, ~~et~~ capitulum suum convocet, nec quidpiam deliberet, nisi illius consensus habeatur.

N. 13.

De Acceptione

1º Vix quispiam societatem ingredi petierit, Director spiritualis necessariam postulantis notitiam assequetur, quam Rectori tradet.

[illegible] + 2º Rector autem Maior eum ad acceptionem admittet, vel non prout sibi in Domino melius judicaverit. At, ubi de illo apud Capitulum res erit ~~[illegible]~~, solum in societatem cooptabitur si saltem maiorem suffragiorum partem ~~secunda~~ obtinuerit ~~[illegible]~~

3º Ut quisquam ad vota ~~facienda~~ emittenda admittatur, necesse erit, ut in ~~[illegible]~~ annum tirocinium exerceat. At nemo ad votorum emissionem admittendus est,

1904A6

nisi sexdecim aetatis annos fuerit praetergressus.

4º Haec autem vota bis per triennium repetentur. Sex autem annis transactis, facta est cuilibet ea tertio quoque anno repetendi, vel perpetua faciendi, si videlicet per omnem vitam votis obligandis, at vota perpetua fieri nequeunt, nisi socius quartum saltem et vigesimum annum attigerit.

5º Ut socius Congregationi possit adscribi, praeter virtutes, quae regulis praescribuntur, debet etiam ~~[illegible]~~ anteactam vitae rationem testimonio comprobare, ex quo constet:

1º Status illius liberi, atque de bonis moribus declaratio ~~nem~~ a proprio episcopo exarata.

2º Illius nativitas ~~tem~~ et baptismus. 3º aere alieno non esse gravatum. 4º numquam ~~de~~ in ullum crimine inquisitum fuisse. 5º nullo neque phisico neque morali impedimento detineri, quo irregularis fiat ad Sacerdotium ~~promovendum~~ incedendum. 6º Parentum consensus, saltem antequam votis se adstringat.

6º Quod ad valetudinem attinet, talis sit, ut saltem tyrocinii anno omnes Societatis regulas, absque exceptione possit observare.

7º ~~Quilibet socius, si quando in studiis impendat,~~ Si quis studiorum causa societatem ingrediatur secum ferre debebit:

1º Vestimenti suppellectilem congruentem ~~ferre debet.~~

2º Quingentos nummos argenteos ~~ingrediendo~~, quibus dispendia suppleantur, quae pro victu et vestitu necessaria erunt anno tyrocinii;

3º Tercentos nummos argenteos, tyrocinio peracto, antequa vota edantur.

8º Socii adiutores supellectilem tantum et tercentos nummos argenteos ingressuri conferent, quin alia ~~[illegible]~~ obligatione devinciantur.

9º Rector poterit ~~aliquem~~ dispensare ~~[illegible] facere~~ conditionibus, quae in articulo septimo et octavo sunt, ubi justa rati

1904A7

adsit, et quaedam plus minusve late excipere.

10º Societas Divinae Providentiae innixa, quae iis nun-quam deest, qui sperant in ipsa, omnia providebit, quae cuique necessaria sunt, sive florente valetu-dine, sive premente morbo. Quibus tamen erga illos tantum Societas devincitur, qui jam votis se obligarunt.

11º Omnibus autem duo potissimum cordi habenda sunt, 1º attente caveat unusquisque, ne ^se^ habitudinibus cujuscumque generis, rerum etiam per se indifferen-tium devinciri patiatur; cujusque ^seditus^ ~~cubiculum~~, lectus, et aediculae munda sint, et decentia; 2º at ^omnes^ ~~in hoc praesertim maximum studium o-mnes impendant, ut~~ ^summopere^ ^studeant^ affectationem et ambitionem devitare. Nihil magis sodalem religiosum exornat, quam vitae sanctimonia, qua ceteris in omnibus praeluceat.

12º Quisque paratus sit, ubi opus erit, aestus, frigora, sitim, famem, labores, et contemptum tolerare, quoties haec omnia conferant ad maiorem Dei gloriam, spiritualem aliorum utilitatem, suamque animae salutem.

N. 14º

Pietatis Exercitia

1º Vita activa, ad quam potissimum haec Congregatio spectat, efficit, ut illius socii nequeant cum pluribus pietatis exercitiis simul collecti operam dare. Quae quidem omnia socii suppleant bonis exemplis si-bi invicem praelucendo, et perfecte generalibus Chri-stiani officiis adimplendo.

2º Singulis hebdomadis socii ad Poenitentiae Sacramen-tum accedant apud Confessorem a Rectore constitu-tum. Sacerdotes quotidie ~~Missam celebrabunt~~, ^sacrum faciunt^ quo-ties autem per negotia non liceat, curent, ut ~~ipsi~~ sacrificio saltem intersint. Clerici et sodales adiutores faciant, ut saltem omnibus diebus festis, omnique feria V. ad Sanctum Eucharistiae Sacramentum accedant.

1904A8

Compositus corporis habitus, perspicua, religiosa, et distincta verborum pronuntiatio, quae in divinis officiis continentur, modestia domi forisque in verbis, adspectu et incessu ita in sociis nostris prae-fulgere debent, ut his potissimum a ceteris di-stinguantur.

3º Omnibus diebus unusquisque non minus unius ho-rae spatio orationi vocali et mentali vacabit, ~~prae-terquam quod~~ ^nisi^ quisquam impediatur ob exerci-tium sacri ministerii; tunc majori, qua fieri poterit, frequentia eas per jaculatoria ^preces^ supplebit, majorique affectus vehementia Deo offeret opera, qui-bus a constitutis pietatis exercitiis arcetur.

4º Quoque die Deiparae Immaculatae tertia Rosarii pars recitabitur, et in spirituali lectione aliquan-tulum opera navabitur.

5º Cujusque hebdomadae feria VI jejunium erit in honorem Passionis D. N. J. C.

6º Ultimo omnium mensium die, a temporalibus curis remotus, se quisque spiritu in se recipiet, e-xercitio vacabit, quod ad bene moriendum fieri so-let, spiritualia et temporalia componens, tamquam mundus illi esset relinquendus, et ad aeternitatis viam adeundum.

7º ~~Unusquisque quotannis exercitiis spiritualibus cir-citer diebus decem operam dabit, quibus finem afferet annua confessio.~~ ^per^ ^circiter^ Unusquisque quotannis per dies fermè decem secedet ut pietati unice operam det. Quibus transactis, [illegible] confessione se rite abluet. Omnes, antequam in societatem cooptentur, aliquot dies in exercitiis spiritualibus impendent, seque generali confessio-ne purgabunt.

8º Licebit autem Rectori statuere, ut ab his pietatis e-xercitiis abstineatur certo quodam tempore et a certis sociis, prout opportunius in Domino judica-bit.

9º Quoties divina Providentia socium, sive laicum, sive sacerdotem ad vitam aeternam vocaverit, totius

1904A9

22 facerent ?? faciant

Congregationis socii ~~Missam celebrabunt~~; ut animae mortui suffragentur. Qui sacerdotes non sunt, semel saltem ad id Eucharistiam ~~sumant~~ accipiant.

10º Idem pietatis officium exercebitur, quoties alicujus socii pater aut mater moriatur; at in ea tantum domo, ubi socius moratur, qui gravi hoc infortunio fuit afflictus.

11º Mortuo Rectori bis suffragabuntur socii, idque duplici de causa: 1º tamquam grati animi pignus ob curas, et labores, quos in regenda sustinuit societate; 2º ut a poenis Purgatorii liberetur, quae illi forsitan ob nostram causam perferendae erunt.

N. 18. De Vestimento

1º Vestimentum, quo utuntur socii, varium erit, prout variae erunt regiones, in quibus illi commorantur.

2º Sacerdotes longam vestem induent, nisi iter, vel alia justa ratio aliter poscat.

3º Socii adiutores nigro vestimento, quantum fieri poterit, induentur. Tunica superior saltem ~~et~~ infra genua ~~...~~ producatur.

Formula Votorum

Antequam socius vota proferat, exercitiis spiritualibus vacabit, quae huc praesertim spectabunt, ut, quisque, quo Deus ~~se~~ illum vocet, attente consideret, simulque materiam votorum edoceatur, quae proferre velit, ubi certe cognoscat hanc esse Dei voluntatem. Peractis spiritualibus exercitiis, Capitulum habebitur, ac, si fieri potest, omnes illius domus socii convocabuntur.

Rector talari habitu et stola indutus, cunctos hortabitur, ut genua submittant. Deinde omnes simul Spiritus Sancti lumina invocabunt alterna voce recitantes himnum Veni Creator etc.

V. Emitte spiritum etc.

R. Et renovabis etc.

1904A10

23.

Oremus

Deus qui corda fidelium etc.

Litaniae Betae Virginis cum versiculis;
Ora pro nobis etc: et cum Oremus.
Concede nos etc:

In honorem S. Francisci Salesii
Pater, Ave, Gloria

V. Ora pro nobis Beate Francisce
R. Ut digni efficiamur etc.

Oremus

Deus, qui ad animarum salutem etc.

Deinde socius, ac si plures sint, singuli, flexis genibus coram Rectore inter duos professos positus clara et intelligibili voce hanc votorum formulam proferent:

Fragilitate et instabilitate voluntatis meae omnino cognita, cupiens in posterum ea constanti animo perficere, quae ad maiorem Dei gloriam et animarum salutem conferre possint, ego N.N. coram te omnipotens, et sempiterne Deus, ac, licet conspectu tuo indignus, tamen tuae bonitati et infinitae misericordiae confisus, desiderio unice permotus te amandi, tibique serviendi, coram Beatissima Virgine Maria sine labe concepta, S. Francisco Salesio, omnibusque sanctis coelorum, ~~juxta~~ et Societatis S. Francisci Salesii regulis facio votum castitatis, paupertatis, et obedientiae Deo, tibique N.N., mi superior, ad tres annos, vel etc.

Quapropter te ~~humiliter~~ enixe deprecor, ut secundum nostrae societatis constitutiones ea mihi velis praecipere, quae tibi videantur ad maiorem Dei gloriam, maioremque animarum utilitatem conferre.

Interea, tu Deus bonitatis, per propter immensam clementiam tuam, propter Jesu Christi Sanguinem, pro nobis effusum, oro, ut hoc sacrificium excipias, quo gratiae agantur pro multis beneficiis mihi collatis,

1904A11

et pro meis peccatis expiandis. Tu in me desiderium inspirasti hoc votum emittendi, tu quoque fac, ut possim illud adimplere.

Sancta Maria Virgo immaculata, S. Francisce Salesi, omnes Sancti et Sanctae Dei intercedite pro me, ut Deum meum diligens, eique soli in hoc mundo serviens ad aeterna praemia merear pervenire. Omnes respondent: Amen. Deinde novus socius nomen suum in libro notabit, ubi hanc etiam schedulam subscribet: Ego infrascriptus N.N. legi ac intellexi Societatis S. Francisci Salesii regulas, et promitto me secundum votorum formulam nunc prolatam eas constanti animo observaturum.

Augustae Taurinorum anno N.N. Hisce peractis, recitabitur Te Deum alternis vocibus; quo finito, si Rector ad rem existimabit, brevem ad id moralem exhortationem habebit, quibus omnibus finem afferet psalmus Laudate Dominum omnes gentes etc.

N. 16. — De Externis —

1º Quicumque, licet in saeculo vivat, in domo sua, in sinu familiae suae ad hanc societatem potest pertinere.

2º Hic nullo voto se adstringit, sed strenuam operam dabit, ut eas regulas, quae ipsius aetati ac conditioni congruant, actu perficiat.

3º Ut autem bonorum spiritualium Societatis particeps fiat, oportet, ut saltem Rectori promittat se fortunis viribusque ~~sociis~~ suorum, prout Rector ad maiorem Dei gloriam conferre censebit. #

4º Si quis tamen factae promissioni desit, nulla, ne veniali quidem, culpa gravatur.

1904A12

ARCHIVIO SALESIANO
CENTRALE
D472D306